



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini

Zyllesius, Nicolaus

Treveris, 1638

§ 6. Territorium S. Maximini à Treuirensi est separatum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14268

III. sub Num. 18 & aliorum. Exstat etiam Diploma Henrici III. sub Num. 24. quibus Abbati soli conceditur confiscatio bonorum eorum, qui capitis damnantur ob furtum, latrocinium &c.

Ex suprema hac Iurisdictione emanat quoque potestas illa decernendi in tota ditione Maximiniana mensuras, vlnas, pondera &c. quæ omnes inferiores curiæ à supremo Abbatis Tribunali accipiunt.

Eodem pertinet, quod edicta Imperii siue in Comitibus Imperij, absente nunquam Abbate, sancita, siue à Concilio Aulico vel Cæsarea Camera emanata semper immediatè transmissa sunt ad Abbatem subditis publicanda, vt plurimis documentis ostendi potest, & nominatim posteriorum Imperatorum Maximiliani I. Caroli V. Ferdinandi I. Maximiliani II. & consequentium mandatis, quæ in Archiuo nostro hodieque in Originali exstant: vt pote de Friderico Saxonix Duce constituto per Germaniam Cæsareo Vicario dum Imperator Coronationis causa in Italiam pergeret. Item, ne quis militet Regi Franciæ & Carolo Egmondano: de non educendis equis in Italiam & Franciam: de modo in negotio Religionis obseruando vsque ad Concilium Generale. De non tolerando iterato Baptismo & Anabaptistis: De non tolerandis militum conscriptionibus in Imperio sine licentia Cæsaris, deque Germanorū militia apud exteros: de grassatoribus siue peditibus, siue equitibus in Imperio compescendis &c. Sic quoque Camera Imperialis Anno MDXXI. Abbati eadem transmissit pacis profanæ (*des Landfriedens*) articulos, vna cum constitutione de successione Nepotum publicanda in Maximiniano Territorio. Quibus innumera similia habemus, quæ coram Tribunali Cæsareo exhibita & recognita fuerunt, ita vt ijs enumerandis inhærere superfluum sit.

S. 6. Territorium S. Maximini à Treuirensi est separatum.

Iurisdictioni præfata suum quoque respondet Territorium, quod habuit semper Abbas S. Maximini proprium, proprijs legibus gubernatum, omnimodè diuersum à Territorio Archiepiscopi, planè prout solent, qui sibi inuicem non subiiciuntur, & proprias omnimodèque discriminatas Respublicas constituunt: vnde & in Priuilegio Conradi *Salici* sub Num. 21. fit mentio expressa *Pradij S. Maximini*, & in Priuilegio S. Gregorij II. Pontificis sub Num. 2. *Allo-dij S. Maximini*. Namque initio Abbatia S. Maximini non in fundo S. Petri, seu Ecclesiæ Treuirensis, vt spargit Scriptor anonymus ex fundamento quod infra nullum esse ostenditur, sed in fundo Imperij, atque etiam in Palatio Imperatoris constituta est. Qui fundus & habitatio ita appropriata est Maximinianis vt Constantinus Magnus, *alteri persona noluerit eam habitationem subdere, nisi sua Successorumque Imperatorum potestati*, vt habent verba Dagobertini Diplomatis Num. 1.

Similiter succedentes Imperatores Romanique Pontifices vocarunt Monasterium hoc, *Imperialem familiam*, vt habet Otto M. in Rauennatensi Diplomate, sub Numero 15. *Regalem & Publicam Abbatiam*, vt habet idem Otto in Ingelheimensi sub Numero 15. *Regalis Abbatie familiam*, vt habet Henricus NIGER sub Numero 24. *Regalem locum*, vt habet S. Gregorius II. Papa in Romano sub Numero 2. & Ioannes XV. in Romano sub Num. 17. *Regalem* seu Regiæ Dotis Abbatiam, vt habet Otto MAGNVS in Romanis sub Num. 11.

& Hen-

& Henricus NIGER in Treuirensi sub Num. 24. vnde Sigismundus Imperator in Rescripto Vlmenfi ad Ciuitatem Treuirensis Anno DCCCCXXXIV. de Monasterio S. Maximini hæc habet. *Vnser Kloster S. Maximin/ S. Benedicten Orden vsserhalb der Mur zu Trier gelegen/ da eines Römischen Käyfers vnnnd Königs Cammer sein soll: nostrum Monasterium S. Maximini, Ordinis S. Benedicti extra muros Treuirenses situm, vbi Romani imperatoris & Regis camera est. & Fredericus IV. Imperator Austriacus in litteris Francofurtensibus sub Num. 47. Monasterium S. Maximini dicit, Romani Imperij specialem domum, & reseruatum Camera omnium Imperatorum & Regum Romanorum extitisse & esse. Et mox infra, Esse suum & Romani Imperij speciale habitaculum. Idem & gloriosissimæ memoriæ Ferdinandus II. in suis Viennensibus sub Num. 86. asserit in hæc verba, S. R. Imp. specialis Domus ac reseruata Camera existit. Per Camera autem non nemo Iuriscultus intelligit hic specialem illam Monasterij cum Regno & S. R. Linuinculationem, quæ supra DORIS nomine exprimitur, ita vt Monasterium, eiusque fundi, sint quoddam intimum Camerale Imperij bonum inalienabile, & nulli, nisi Imperatori in temporalibus obnoxium.*

Habuit autem olim Monasterium ampla suburbia in toto illo agro, qui à Monasterio ad Vrbem protenditur quique etiamnum ad Monasterium pertinet, neque est fundus Electoris, sed fundus Imperij. Talia quondam erant illa suburbia Maximiniana tempore Sigismundi Imperatoris hostiliter exusta in obsidione Sickingana, quando muri Maximiniani, suburbij euerfi, arbores incisa, ciues Maximiniani spoliati & fugati, plures quàm decem fontes & putei in vicis & plateis Maximinianis oppleti, domus XXIIX. vel plures exustæ & funditus euerfæ, multæque aliæ damnificatæ ante portam S. Simeonis in fundo & districtu Maximiniano. Hoc queritur Imperator Sigismundus in dicto Vlmenfi Diplomate, vbi sic loquitur. *Ist vnser/ vnd syr Vorstatt bey demselben Kloster gelegen abgebrannt vnd grundtlich zerstöret/ die Brunnen gefüllet/ vnd die Hoffstatt also gestraiffet/ das man nit oder summerlich bekennen kan/ je ein Hauff/ Mur/ oder anders da gestanden seye, ic. nostra & eorum suburbia, iuxta idem Monasterium sita, exusta sunt, & funditus euerfa, fontes oppleti, & habitaciones ita dissectæ, vt non possit nisi difficulter cognosci aliquando ibi fuisse. edes, muros, & alia &c.*

Post Sigismundum sæculo sequenti Abbatem S. Maximini vñt Carolus V. Imperator, litteris Norimbergenfibus Anno MDXXIII. vt Monasterium immediate Imperio subditum, quod conflagrauerat, tanquam domum Imperij specialem ocys repararet, ex cuius neglectu singulare damnum sequatur Imperatori. *Nit allein dem löblichen Gottesdienst/ so durch Vnsere Vorfahren im Reich Käyser Constantinum vnd sein Mutter S. Helenam auffgerichtet/ vnd bissher Ehrlich gehalten worden ist/ zu abbruch/ sonder auch Vns/ vnnnd dem Heiligen Reich/ dem solch Gotteshaus ohn mittel vnderworffen/ vnd sunderlich Vns/ als Römischen Käyser/ an der Lasten Bogtey vnd Schirm (wo nit statlich einsehung gethan) zu nachteil ratchen wird. id est. Non solum laudabili cultui diuino, qui per prædecessores nostros in Imperio Imperatorem Constantinum & eius Matrem S. Helenam institutus, & hucusque decenter obseruatus est, sed etiam nobis & S. Imperio, cui tale Monasterium immediate subiectum & singulariter nobis tanquam Romano Imperatori quoad Ecclesiasticam Aduocatum & tutelam (nisi præstanter attendatur) in detrimentum & præiudicium cederet. habes illas N. 64. Ex quibus disces, quanta semper cura Imperatores attenderint, vt Monasterium S. Maximini, tanquam singularis antiquissima, nobilissima, sanctissima, Imperij domus, integrum conseruaretur, & quocunque etiã modo destructum & læsum, quàm decetissime illico repararetur.*